



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eisdem Papæ, ad Domnum Carolum Regem
directæ, in qua continentur gratiarum actiones & de Rosellis & Populonio,
& de ciuitatibus Beneuentanis, vel de insidiis Græcorum. LXXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

mulq; vestros, pro amore Dei, & B. Petri Apostolorum principis, nostraq; dilectionis, eos vltro citroque fouere atque commendatos habere dignemini, quia nimis erga praesidiatorem & protectorem vestrum, B. Petrum, Apostolorum principem, & nos, fideles eos reperimus; & ideo petimus, vt amplius per vestrum regale adminiculum, nobis poscentibus, eleuati atque exaltati pro nostro amore, in vestro praesulgido regno, existant, quia quantum caput totius mundi, sanctam Romanam, eiusque rectorem, simulque antistitem amplectens, honorabilis terq; glorificanda vestra diuinitus praordinata summa excellentia diligit, tantum eam B. Petrus Apostolorum princeps vna cum Domna filia nostra, excellentissima Regina, vestraque nobilissima subole, & hic longiori aeuo, regni gubernaculo perfrui & in futuro inconcussa faciet soliditate victrice gaudere. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

*Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad
Domnum Carolum Regem directae, in qua continentur gra-
tiarum actiones & de Rosellis & Populonio, & de
ciuitatibus Beneuentanis, vel de insu-
diis Graecorum.*

LXXXVI.

DOMNO excellentissimo filio nostroque spiri-
tali compatri Carolo Regi Francorum, & Lan-
gobardorum, atque Patricio Romanorum,
Adrianus Papa. Nectareas nimisq; mellifluas, regalis
excellenciae vestrae suscepimus Syllabas, in quibus
agnoscentes vestrae sinceritatis salutem, & spiritalis fi-
liae

*Summ. 3.
Bar. 8
Cent.*

o

liae nostrae Dominae Reginae, vestraeque praecelsae prolis, & quod in finibus vestris, Christo propitio, omnia prospera esse cernuntur, magnas omnipotenti Deo retulimus grates, qui nos de vestro regali triumpho crebro latos efficit.

De Apostolicis vero Syllabis nostris, quas vobis emisimus, primum quidem per Aruinum Comitem, postmodum vero per sororem & Bectonem directas, & in vestris regalibus apicibus reperimus nobis exinde grates referri; prorsus nobis vestra regalis excellentia credere velit, quia numquam voluimus, ut Grimwaldus, filius Arichis, in Beneventum remeasset; nisi propter inimicorum vestrorum, atque nostrorum machinationes atque insidias, sed verum etiam, sicut vestra promisit nobis regalis excellentia, pro exaltatione atque defensione sanctae Dei Ecclesiae, & pro vestro nostroque profectu, quod vos, Domino opitulante, & beato Petro, Apostolorum principe, comitante, omnimodis illis creditis cum summa virtute agere, procul dubio in his credimus, qui opus, quod coepistis, pro exaltatione spiritualis matris vestrae, sanctae Romanae Ecclesiae, finetenus perficietis, & magis magisque per vestra laboriosa certamina, exaltata manebit, quia pro huiusmodi vestrum regale nomen in libro aeternae vitae adscriptum est.

Illud autem, quod nobis vestra intimaivit excellentia, ut quicquid de istis partibus compertum habuerimus, sub celeritate omnia vestrae regali excellentiae significare niteremur, emisit nobis Stephanus*,
 **Diaconi*. Neapolitanus Episcopus, per suos apices* diaconia iuris sanctae nostrae Ecclesiae sibi concedi, in quibus embolum posuit, significans nobis, de nefando Adalgiso,
 filio

filio proterui Desiderij, & de insidiis Græcorū. Simili modo & Campulus, Episcopus Caietanus, per suas series ea ipsa nobis intimauit, quatenus ꝑ nimio vestro amore idem embolum, atq; Epistolā infra posuimus; sed taliter vestra præcellentia commendare, atq; disponere iubeat, vt exercitus à vobis demandati, vt nobis direxistis, præparati existant, & vbi nobis necesse fuerit, celeriter occurrere satagant.

Reperimus etiam in ipsis vestris apicibus embolū de ciuitatibus in partibus Beneuentanis, quas B. Petro Apostolo, & nobis, deuotā obtulistis mente, de Rosellis, & de Populonio, Aruino duci iussistis, qualiter cum cæteris fidelibus vestris Missis, ita omnia complere debeat, sicut Deo placeat, & B. Petro Apostolo, & nos propterea in his, pro vestra beneuola excellentia, non desinimus diuinā exorare clementiam. Sed quid Missis vestris contigit, vestra noluerunt adimplere de huiusmodi iussā, neq; de Rosellis & Populonio, neq; partibus Beneuentanis. Vnde Crescentem & Adrianum Duces, cum fidelissimis Missis vestris, in partibus Beneuentanis direximus, vestra regalia suscipientes vota, sed nulla alia illis tradere voluerunt, nisi Episcopia, monasteria, & curtes publicas, simul clauēs de ciuitatibus sine hominibus, & ipsi homines in eorum potestate introeuntes & exeuntes manent, & quomodo nos sine hominibus, ciuitates illas habere potuerimus, si habitatores earum aduersus eas machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, sicut cæteras ciuitates in partibus Tusciæ donis vestris regere, & gubernare eos cupimus omnem eorum habentes legem.

Vnde petimus vestram excellentiam, vt nullus hominum sit, qui vestra sacra vota impedire valeat, & ne

meliozem faciatis Grimualdum filium Aragisi, quam fauorem vestrum B. Petrum, clauigerum regni caelorum, eo quod ipse Grimuald^o in Capua, praesentibus Missis vestris, laudabat se dicens: quia Dominus Rex praecipit, vt qui voluerit homo meus esse, tam magnus, quam minor, sine dubio est tam meus, quam vel cuius voluerit: quae, vt nostris euenit auribus, optimates Graecorum, in Neapoli sedentes, insultantes fremebant dicentes, Deo gratias, quia eorum promissa ad nihilum sunt redacta, sed eorum cachinnos nos & subfannationes, pro nihilo reputamus, quamuis ipsi Graeci referebant, quia Missi Apostolici iam duabus vicibus sine effectu reuersi sunt. Ecce enim huiusmodi remittimus in seruitio B. Petri Apostoli, cum vestris fidelissimis Missis, nostros, qui vobis omnia liquidius suggerere debeant, & quae sumus vt taliter eos, pro hac causa disponere iubeatis, vt fautor vester beatus Petrus Apostolus, secundum vestram sacram oblationem, suscipiat effectum, vt hic & in futuro vna cum Domna Regina vestraq; nobilissima prole, existat retributor. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

*Item exemplar Epistola eiusdem Pape, ad
Domnum Carolum Regem directa, in qua continentur gra-
tiarum actiones, pro exaltatione sanctae Dei Ecclesiae
& de honore pallij sacerdotalis concessi Er-
menberto Episcopo.*

LXXXVII.

*Summ. 2.
Bar. &
Cent.*



OMNO excellentissimo filio, nostroq; spiri-
tali Compatri Carolo, Regi Francorum, &
Langobardorum, atque patricio Romano-
rum,